

- 840 ribus præliis per occasionem commissis, tandem totis viribus utrinque est concursus: tum vero fufis fugatisque Græcis, omnis Maurorum impetus est in Venetos conversus: sed ii usque adeo in præsentem pugnam erant intenti, ut alterius cornu fugam non prius respexerint, quam undique sint a Barbaris circumventi. Sic quoque tum ferocissimi hostis impetum Venetæ triremes aliquandiu sustinere: sed Maurorum multitudine superante, partim summersæ, partim captæ ad unam ad omnes periere: Venetorum pauci vivi in hostium potestatem venerunt: reliquam multitudinem aut ferrum aut aquæ confecerunt. Sunt qui scribant, apud Crotonem prius pugnatum, quam Mauri Romam venissent: in quibus est Bonitendus. Barbari præsentis successu elati in Dalmatiam trajecere, ubi aliquot oppida subito incurfu oppressa diripuerunt: Venetas ad id naves præciosa merce onustas ex Syria redeunt, quæ Maura classe procul inspecta in Tergestinum finem declinarant, intercepte, atque immodico odio, quo Venetum nomen persequabantur, in captivorum cædem proVecti ad unum omnes necavere. Nuncius acceptæ apud Crotonem cladis ingentem luctum & terrorem attulerat civitati: sed audita recentiore clade, quo res minus erat expectata, ita magis ac magis fregit omnium animos, ut non minus Venetiis sit trepidatum, quam si Barbarus in conspectu fuisset: essetque in tanta consternatione adhuc magis laboratum, nisi per exploratorias naves cognitum fuisset, hostes Anconem versus cursum flexisse, eaque inopinato adventu oppressa ac direpta, confestim in altum abiisse. Adversis Venetorum rebus Narentani elati, ex Dalmatia subito cursu Caprulas usque prædabundi processere. Est id oppidum ad ostium Limenæ amnis, quod prisca Veneti Concordia profugi Hunnico tumultu frequentare occæperunt. Per hæc tempora, aut certe non multo post, tradit Bonitendus, Benedictum Pontificem Venetias venisse: ubi quum benigne fuisset acceptus, inviseretque Divi Zachariæ cœnobium, Agnetis Maurocenæ, ejus loci Antistitis, precibus fatigatum promississe, ex urbe se ad ædem religionem instruendam Pancratii Martyris & Sabinæ corpora missurum: ac postea ab eo missa summa cum veneratio-

*Pancratii
& Sabinæ
corpora Pō-
tificis dono
in Zachariæ
cœdem illata.*